Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1397
Quelle:
Copyright:

Pauli manu *Stephani* Ep. *Osc.* sacro fonte abluti *Dialogos* polemicos cum *Mose* Judaeo habitos, qui primum lucem videre *Colon.* 1536. in 8. deinde in *PP. Bibliothecas* recepti sunt, prostantque edit. *Lugd.* T. XXI. p. 172. Huic Editioni probe consonat *Codex*, nisi, quod in *Prooemio* pro: *ætatis meæ anno quadragesimo quarto*, ut perperam, me judice, habent Edita, absone legat: *Feria millesima. c. XL*ª. *IIII*ª. pro *Aera millesima*, Hispanica scilicet 1144. quae cum anno Chr. 1106. rite coincidit. Inscriptio miniata est: *Incipit liber. Petri. Alfunsi.* Initium: *Uni et eterno primo qui caret principio* &c. Finis: *et finem meliorem quam principium tibi prestet amen.*

Fronti Codicis adscriptum: *Hunc librum dedit dominus G*r. *fundacioni sue in Maurpach et valz.* Lego *Gerlacus;* is enim, teste *Leop. Brennero* in *Hist. Carthusiae Maurbac.* T. II. *Scriptt. Rer. Austr. Hier. Pezii*, *col.* 340. Sacris Palatinis *Friderici Pulchri* Praefectus et Plebanus in *Dreskirchen* Fundationi Ducali e mediis propriis minorem Conventum 7. Religiosorum adjecit, obtentis hac super re Capituli *Patavienf.* Literis, quae *l. cit.* recitantur. Atque haec contigere intra an. 1314. et 1318. quo *Gerlacus* diem clausit, unde de aetate *Codicis* nostri aliquid statues. To *Valz* breviatum putem pro *Vallis Omnium SS.* quod Carthusiae illi nunc abolitae nomen fuit. Ad *Cod.* porro compingendum adhibitae sunt Literae *Urbani* Papae, quibus Abbati de *Teching* Dioec. *Augustanae* committitur cognitio caussae vertentis inter *Henricum de Stof Canonicum ecclesiae Veteris Capelle Ratisponen.* et *Godescalcum de linkirshem presb. Ratisponen.* de Praebenda per obitum *Magistri Sibotonis* in illa Ecclesia vacante. Notae chronologicae abscissae sunt; datas tamen arbitror intra ann. 1261 — 65. ab *Urbano* IV. quod in illis *Alexandrum* (IV.) *predecessorem* adpellet.

CCCLXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 384
XV. Folior. nunc 81. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus fuit quondam *Joh. Sambuci*, continetque Opus inscriptum: *Uictoria*, quod contra Judaeorum errores elaborasse dicitur *Porchetus de Salvaticis* s. *Sylvaticis* (de' Selvaggj) *Januensis Carthusianus*, quodque luci publicae exposuit *Aug. Justinianus* O. P. episc. *Nebiensis* 1520. *Paris. f.* cum *Praef.* in qua miratur, hominem christianum, eundemque monachum *cartusiensem Genuae*, qua in urbe ob religionis reuerentiam Judæis interdicitur habitatione, hebraeorum thesauros ita depilasse; nihil tamen de illius aetate statuit. Neque multo plus *Theod. Petrejus* in *Bibl. Cartus. Colon.* 1609. 8. p. 271. contentus dicere: *Si fides habenda est collectaneis quibusdam*